

V
R.M.C.Y.
S. 2

IN

REVERENTIÆ

ET GRATITUDINIS

TESSERAM

11297 V. B. 6. 1. L.

V

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HOMINIS
AETATIBUS

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
IN
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
CAES. REG. UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICAE ERUDITORUM SUBMITTIT DISQUISITIONE

Antonius Franc. Xav. Potoznik

Carniolus Graianus.



PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

1834

Reddere qui voces jam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amara relinquere pernix.
Conversis studiis aetas, animusque virilis
Quaerit opes, et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda: vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puer, censor, castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles;
Semper in adjunctis, aevoque morabitur aptis.

HORATIUS
De Arte Poëtica.

IN=030006639

EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
JOSEPHO L. BARONI
AB ERBERG
IN
LUSTAL ET OSTERBERG,
INCLIT. REGNI HUNGARIAE ORDINIS ST.
STEPHANI MAGNI CRUCIS,
NEC NON
CAES. AUSTR. ORDINIS LEOPOLDI EQUITI,
SUAE
S A C R A E
CAESAREO - REGIAE APOSTOLICAE MAJESTAT.
A CUNABULIS
C O N S I L I A R I O I N T I M O ,
etc. etc.

V I R O
EXCELLENTISSIMO
SCIENTIA, ARTE, PERITIA
NEC NON
HUMANITATE AC BENEVOLENTIA
C A N D I D I S S I M A
PER SE JAM
N O B I L I
IN VENERATIONIS SUAE TESSERAM PIA CUM
DEVOTIONE HOC SPECIMEN INAUGURALE
OFFERT AC CONSECRAT

DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.

EXCELLENTISSIME VIR!

*Quem dira circumstantiarum necessitas
quinquennio in vasto Apollineae artis cir-
cumegerat mari , juvat tandem pacata
tempestate placidoque coelo optatum in
portum dirigere navim. En, solennis adesi
hora , qua cogitanti mihi quo pignore ,
quo cultu , qua veneratione **TIBI EX-
CELLENTISSIME VIR** , cordis mei
observantiam testarer, nullum magis fau-
stum obvenire posset momentum, auspica-
tior occasio nulla! **TIBI ADORATI
CAESARIS FRANCISCI** - O DULCE
NOMEN, POPULORUM DELICIÆ!
*a CUNABULIS CONSILIARIO INTI-
MO, qui solerti fervore atque consumma-
ta peritia patriae consilio coadministras
jura; - **TIBI INCLIT. REG. HUNGA-
RIAЕ ORDINIS ST. STEPHANI MA-
GNI CRUCIS, nec non CÆS. AUSTR.****

ORDINIS LEOPOLDI RARUM DECUS; TIBI, cuius tot tantaque de patria sunt merita, ut versatissimi oratoris facundiam facile superent; TIBI, inquam, has debilis laboris Primicias sacras cupio.

Monitorum, quibus TANTUS me cumulasti, memor, aliisque obstrictus officiis, eo tandem adnitendum mihi fore credidi, ut justissimae gratitudinis summaeque erga TE reverentiae monumentum palam fundarem. Inest enim tantum deliciarum publico sacramento gratum profiteri animum, quod verbis exprimi nequit. Hoc singulari illi, quam semper erga TE alui, observantiae; TUÆ, qua me honorasti, benevolentiae, et magnanimitati illi singulari, qua me jam ab ephesis Medicinae studiorum prosequi dignatus es, ascribas rogo: quae etsi tantilli ingenii foetum TUO nomine haud dignum offerunt; pro testimonio tamen, spero, valebunt, quo enitar studio, ut nullam praetermittam occasionem, pro monitis TUIS, quae sagacissima protulisti mente, GRATIAS TIBI AGENDI MAXUMAS.

Accipe itaque VIR EXCELLENTIS-SIME, fronte, qua olim nuperque me ex-cipere solebas, serena et benigna hoc ob-servantiae pignus, - candidissimum αὐτιπε-λαργυγόντος symbolum! Sinas, precor, ut quam TUI NOMINIS CLYPEO muniri indignam non habuisti, exilis opella exo-ptatum patiatur ornamentum. Etsi naevi quidam adhaeserint, juvenem medicum be-nigne excuses, sunt enim humana. Ut ut desint vires, tamen est laudanda voluntas, hac enim contentum TE auguror.

FAXIT DEUS TER OPTUMUS MA-XUMUS! ut in commoda patriae, in con-servationem NOBILIS FAMILIÆ TUÆ, in bonorum solatium, in muneric publi-ci ornamentum diu vivas incolmis sos-pes; ut cumuleris omnibus illis honoris spoliis, quae TUÆ debentur virtuti. SIS diu adhuc NOBILI PROSAPIÆ TUÆ honosque decusque! -- Ego vero non de-sinam, me totum pro humeris publicae sa-cificare saluti, TUOque patrocinio qui dignus evadam omnibus adnitar nervis, Attica fide feralem ad tumulum usque

TUI memoriam, Ambrosia alende FAUTOR,
conservaturus sancte spondeo.

EXCELLENTISSIMI NOMINIS

TUI

OBSERVANTISSIMUS
AUCTOR

LECTORI SALUTEM!

QUEM SCIENTIA ET ARS MANU TRI-BUUNT LARGA, summum honorem antequam attingere datur, DOCTORIS Medicinae Laurea, qui digni habeamur, coronamur, cathedramque doctoralem adscendere licet; leges Majorum ex objectorum Myriade quid in lucem proferre ab annis dictabant et dictant. Quam sanctionarunt, hanc venerabundi legem sequi dum in animo fuit, magnas obviam vidimus venientes rupes, a scensu difficilia cacumina summa labore periculisque stipata multis, perpendendo una ex parte juvenem medicum, qui Hippocraticarum quinquennio vix valedicens scholarum ludo, tantam et tam vastam ex altera parte et seculorum eruditio ni vix ac ne vix quidem convenientem, quibus esset supersedendum, et sanae et aegrotantis naturae jure sylvam offendit notionum divinarum. Quid vero pro dissertatione inaugurali simus selecturi, hinc indeque statutis satisfacturi nubila molientes mente, regulas Hygienes speciales omittendo, quum celeberrimorum virorum, uti

FISCHIER, HENKE, RAMINGTON, SCHRÖTER, BURDACH, HARTMANN, opera per pulchra commentaque stupenda in auxilium fuis sent tracta, omnium primo de HOMINIS ÆTATIBUS notio physiologica ad nostrum scripulum usque, quem nancisci debuit, valore haud exculta, praepacere visa est; praeprimis quando addimus, pathologo non minus ac therapeusin molienti summopere fructiferam evolutionem organisi humani physiologicam ejusque revolutiones inter et quae ad statum hominis morbosum spectant perspicuam esse necessitatem. Omne vivit, omne natura sua aliam vitam. Ad vitam duo concurrent factores oportet, factores ex principiis naturae generalibus conferti, quae quidem unam eandemque semper et ubique habent essentiam, ideale imponderabilis, diversa tamen inter se confluunt relatione diversum constituendo productum, diversam vitam. Talis scala esset ab electricitate, a luce, a magnetismo, qua potentissimis sensibus nostris subtilissimis, ad hominem perfectissimum usque, et in homine ipso a textu cellulari ad systema sensiferum usque; unde fit, ut omne sistema, omne organon, omnis partiuncula sua coronentur vita, suo modo aegrotent, suo modo morbosa tractentur, suo modo reviviscant in pristinam vitam. Talis ratio observatur in progressu et regressu vitae humanae, quae certas adamat periodos ac determinatam sub quavis conditione et normali et a norma deflectente aliam iterumque aliam praesefert faciem; quae omnia cautum nonnisi medicum in diagnosi, therapia aequa ac prognosi ducant oportet. Licet nos

salem philosophorum invenisse nec somniare audieamus, gaudemus tamen auctorum recensitorum opiniones, et quae cogitarunt et protulerunt, in proprium sanguinem, quantum vires tulere, conversa publice tradere posse, sistema quoddam organicum, ut ita dicamus, enucleando huicque aedificium vivum superstruendo. Ast exiguae velis respicere vires precamur, precamurque, et quod magis, acuto ne secemur ungui! —

Patavii Nonis Januarii anni 1834.

AUCTOR



§ 1. **V**ires, quarum concursus e diametro sibi oppositus vitam ponit, materiam iisdem animandam determinat, determinanturque ita, ut cuius in causa sunt, processus vitalis a primo vitae germine ad eandem in alias formas labentem, continua inter formationem et destructionem lucta esse non tantum videatur, verum etiam secundum mentes omnium ferme naturae scrutatorum jure sit, magnam fovens cum anni temporibus teraeque circa axim propriam rotationibus analogiam, tali pacto, ut quaedam stadia ejusdem processus biotici, licet non distincta, distinguere valeamus, quibus stadiis in homine, quem scrutari contendimus, AETATUM competit nomen.

§ 2. Nec desideratur aetatum singularum notio-
nis momentum sat grave in morbo et cognoscendo
et determinando non minus ac in aetiology; nam
homo a primae vitae horis per scalam quasi cre-
scens, florens, decrescens ac ad elementa sua,
quorum soboles fuit, retrogrado descendens pas-

su pro singulo vitae momento variam et quoad vires et quoad massam organicam rationem habens, variam etiam et tam multifariam ad res externas relationem, hinc et dispositionem ad morbos offerat oportet.

§3. Quam primum determinatas ac distinctas vitae periodos habuerimus, luce medicina gaudebit divina; ast haec nosse desideratur, relinquenda nepoti. Tali vero rerum positione jam non mirum, cur physiologi varii variam aetatum divisionem habuerint, limites vero uniuscujusvis relinquenterint dubios.

§4. Inter reliquias, quas omnis aevi medici aetatum statuerunt divisiones, quae fundatur in Triade compositionis organismi ex systematum triplicitate, tanta revera mentione illam dignam non esse, lubenter censemus, ac neutericorum praeprimis quorundam futilis subtilitatis, proh dolor, nimis amantium opiniones praeseferunt! Secundum horum argumentationes sex aetatum stadia assumenda suadentur, quorum tria vitae crescenti, alia tria vitae tribuuntur decrescenti. Ast reliquis, quae huic distinctioni opponi a nobis possent, verbis Immortalis **NOSTRI HARTMANNI** omissis, adducere tantum placet, limites, quibus vitae decrescentis stadia a se invicem rite separantur, a perspicacissimo etet physiologicarum rerum gnaro desiderari.

§5. Aliam igitur divisionem, quae sanae rationis principiis atque ab experientia suffultis innititur argumentis, proponere juvabit, quae certe, licet non expeditissimae eruditionis, naturam tamen scrutantis animi notam praeseferret. Hac de causa,

ut systematio quodam ordine progrediamur, omnium primo fines extremos, inter quos vita tamquam lucidum sidus ab Anatole versus Hesperum movetur, origo et extinctio vitae sunt. Persolvit autem cyclum suum vita eo' ordine, ut mox sursum tendat, mox aequilibrium inter adscensum et descensum teneat, mox iterum deorsum verget, ut igitur vita cum Aurora, meridie et vespero summam ac pulcherrimam foveat analogiam, atque tria generalia et primaria exhibeat stadia, quae sunt;

Stadium { incrementi,
 } vitae perfectae,
 } decrementi:

Ast haec distinctio quum nimis sit generalis, verissima attamen, alia adhuc stadia addere volumus, ideo autem stadia dicta, quum aetates mox adducendae, propriis manifestationibus ac characteribus, sint distinctae, clariori luce foenerata putamus. Tali autem respectu habito, vita sex aetatum agnoscit stadia:

- I. Aetas foetus.
- II. » infantilis.
- III. » puerilis.
- IV. » juvenilis,
- V. » virilis.
- VI. » senilis.

Aetas foetus.

§ 6. Aetas foetus, embryonatus, *Foetusleben*, *Leibesfruchalter*, illud audit vitae stadium, quod a conceptione ad partum usque persolvitur, atque vitam plasticam *κατ' εξοχην* et in concreto manifestat. Partus autem legitimus humanus terminum auscultat in fine noni mensis solaris, vel decimi lunaris, ut igitur foemina per triginta octo usque quadraginta hebdomades, seu per ducentos sexaginta quinque usque ducentos octoginta dies uterum gerat gravidum; foeminarum tamen plurimae ducentesimo septuagesimo tertio die a conceptione fructum excludunt. Mulieres primiparae vero, irritabiles nimium aut plethoricae una hebdomade citius; graciles contra, debiles, rigidae nimium et phlegmaticae aliquot diebus serius pariunt.

§ 7. Qum vero embryonatus per gradus tantum formationis et perfectionis ulterioris dignitatem acquirat: hinc pro fixis punctis atque cardinibus, praeeuntibus et physiologis et obstetricariis, in embryonis vita conspicuis, menses assumimus, singularem atque iterum singularem vitae manifestationem praeseferentes.

Ovum.

§ 8. Initium vitae est momentum, et momento absolvitur omne vivum; quemadmodum in columna Voltaica per contactum poli utriusque oppositi extricatur scintilla momento, quasi in temporis

intervallo sensibus non percipiendo , imponderabili, sit venia verbis, nam sunt humana: itaque momento conceptionis jam ponitur vita et est jam vita , et ultra hoc momentum jam perfectio ulterior vitae datur.

Ovum aut potius vesicula in ovario superveniente spermate virili rumpitur, probabiliter prae- gressa jamjam fructificatione. Aliquot horis imo et diebus post concubitum fluidum fructificatum ovi in tubis Fallopianis per motum quemdam peristalticum eorundem in uterum defertur. Quam- primum tubae Fallopianae in functionibus suis impediuntur , embryo in cavo abdominis , in tu- bis Fallopianis ipsis, in ovariis etiam figit suos natales partum producendo extrauterinum . — In utero ante omnia fluidum quoddam muccosum videre solummodo est; vergente vero in finem die decimo septimo polaritas introrsus conspicua extus patet. Formatur antinomia solidum inter et fluidum, tegumen inter et nucleum , quae diffe- rentia posita catenam constituit galvanicam in ovo locum habentem. Ovum nimirum qua trinitas ex embryone , fluido et tegumentis ovi considerari debet ; ovum forma gaudet sphaerica: et omnis vivi animalis primitiva forma est sphaerica. Flui- dum jam perstabat ; polaritate enim accidente ponitur existentia duorum corporum differentium solidorum , ponitur embryonis et membranarum ovi vita. Fluido se insinuat membrana serosa , Amnion, *Schafhaut*, diaphana, secernens, glabra ; extus versus sequitur membrana fibrosa, Chorion, Lederhaut dicta , densa quippe et solida , initio albicans pellucensque, serius evadit opaca et fla-

vida, duabus constans lamellis unitis textu cel-
luloso perreptato arteriis vasisque copiosis cum
vasis umbilicalibus et placentae cohaerentibus. In-
terna chorii lamina (chorion laeve) cum amnios
tunica subjacente ope cellulosae conhaerens tene-
rae et rarae. Lamina exterior chorii (chorion fun-
gosum seu frondosum) copiosis filamentis vascu-
losis primis exornatur mensibus, quae ope deciduae
reflexae et hanc tunicam cribiformem transeundo
cum vasculis et villis tunicae conjunguntur ut-
eri caducae. Primis duobus mensibus filaments
haec per ovi superficiem cernuntur omnem, cras-
siora tamen et densiora ea adparentia parte, qua
ovum cum utero jungitur, ubi pedetentim in
placentae partem vertuntur foetalem. Observa-
tur mensibus graviditatis primis chorœi ambi-
tus major quam amnios, unde nascitur inter-
vallum repletum humore crystallino liquori am-
nii simili. Post secundum mensem vero intima
ovi tunica vasis destituta conspicuis celerius quam
media crescens, tali enim pacto fit, ut spatium
intermedium cum humore dispareat, lioet rarius
contingat, ut, inflammatione facile praegressa, col-
luvies aquosa adsit in partu maturo, unde aquæ
spuriaæ. — Simul ac ovum in uterum defertur,
subinflammati quidem status, si ita dicere
fas est, in utroque exoritur, ut utrobique fila-
menta ramosa et cruenta, seu villi efflorescant,
originem a coagulabili sumentes lympha ovi mem-
branam constituendo externam, quae abit in tuni-
cam mollissimam, vasculosam, retiformem duas
exhibitentem lamellas, quarum pagina interior De-
cidua reflexa compellata, tenuior, cellularis et

cribriformis, initio ex ipso ovulo propullulat, serius cum uteri caduca conservendo totam ovi obducit superficiem; externa econtra, Decidua Hunteri, s. Caduca uteri, *Hunterische Haut*, dicta, uteri vera est efflorescentia, totum ejus cavum, ostia tubarum et internum colli orificium, si excipere mavis, vestiens. Est enim externa haec membrana primis temporibus crassior, copiosioribus instructa vasculis, fit temporis tractu tenuior, cohaeret magis cum utero et vasa ejus sanguifera, eo loco excepto, cui placenta adhaerescit, retrahuntur. Filamenta enim deciduae uteri sese jungendo cum villis ovi verum nexus ovum inter et uterum efficiunt. Tertio graviditatis mense ovum mole auctum totum explet uteri cavum, hinc et paginae dictae cum chorio arctius necuntur, ut ita unam fere tunicam constituant, licet ejus vestigia apud foetum matrum in externa chorii facie adhuc videnda, particulis iis, quae utero adhaerent, cum lochiorum eliminandis fluxu. — Quando plures adsunt foetus, plurimum quivis distincta gaudet amnios et chorii tunica; decidua vero reflexa in plurimis communis esse consuescit. — Omnes ovi tunicae nervis destruuntur, nec igitur sensibilitate vel ad matrem, vel ad foetum referenda gaudent. —

Placenta.

§ 9. Constituit placenta vinculum peculiare foetum inter et matrem, corpus referens spongiosocarnosum vasis innumeris textu celluloso conjunctis conflatum, orbiculare, 6–8 poll. in dia-

metro emetiens, in medio 12-15 lin. crassum, peripheriam versus tenuius, caducam uteri inter et charion positum, utero vario in loco adhaerens facie convexa, foetum respiciens concava. Videtur placenta 8. formari hebdomade, quo tempore vesicula umbilicalis, primum alimentum facile praebens, mole minuitur. Constat placenta partibus duabus: portione uterina una, foetali altera; quarum prior tum formatur, quando decidua crassa vasis uterinis uberioris propullulantibus, in adhaesionis loco incrassari firmiusque coalescere cum utero incipit, quod post 8. circiter hebdomadem contingere consuesit,—secunda contra oritur ab ipsis vasis umbilicalibus chorion perreptantibus fungosum, ac deciduam transeuntibus reflexam et villis ejus tunicae filamentisque. Secundo enim mense vasa umbilicalia augmentur magnitudine, minuantur villi in reliqua ovi superficie, et augmentur illi, qui adhaesionis loco respondent, atque chorii pars utero contigua in placentae partem explicatur foetalem. Vasa umbilicalia ad placentae centrum fere recedunt, moxque in ramos plurimos chorii involucro munitos dispescuntur et vertuntur in parenchyma partis foetalis, quorum singulus in surculos minores dividitur ramus, formantur lobi convolucro capillarium conflati vasorum, suntque venae cum capillaribus arteriolis infinita conjunctae anastomosi. Nervi non reperiuntur, nisi organiei, cum vasis sanguiferis recurrentes, unde placenta omni destituitur sensu; vasa autem lymphatica in parte placentae uterina manifesta sunt.—Transitus humoris ex placentae parte uterina in foetalem

ad nostrum usque scripulum perspicuus desideratur, quem tamen ad mentem celeberrimi Lenhossék membrana decidua reflexa ponat, ut igitur vasa capillaria sibi mutuo inosculentur, vel penetrabilis tunicarum indoles communionem praebat; non tamen talis est iste nexus, ut normali in statu haematis admittat commeatum. Verum enim vero patet communicationis necessitas e placenta functione, e relatione matris ad foetum eque transitu nonnullarum substantiarum e corpore materno in liquorem amnii foetumque ipsum.

Funiculus umbilicalis.

§ 10. Observationibus ducti edocemur, funiculum umbilicale tum demum explicari in embryone humano, quando placenta formari incipit, prima vero aetate ductum amphalo-mesentericum e vesicula umbilicali, qua peculiari ovi parte, emergentem, vices ejus agere, nulli non censemus. Componitur funiculus hic duabus arteriis utrinque ab arteria hypogastrica ortum ducentibus, unaque vena; — priores umbilicum trahiendo in tenero embryone rectius incedunt, in adultiore gyros circa funiculi axin describunt, placentam vero adtingentes in ramos secedunt radiatos, qui in comitiva ramorum venosorum lobos efficiunt. Post partum arteriae umbilicales ab hypogastrica ad umbilicum tendentes mutantur in speciem ligamenti. — Qui arteriarum perpetuos sistunt comites, surculi placentae venosi invicem confluentes sinus formando frequentes flexuosoque itinere procedendo in venam uniuntur umbilicalem

valvulis destitutam, quae inter arterias ad umbilicum tendit, quo transgresso in venae portarum ramum evacuatur sinistrum. — Cinguntur vasa adlata textu celluloso spongioso septulis diviso cellulosis materiaque repleto gelatinosa, accedit denique vagina serosa ab amnios tunica producta. An vero urachus verum sistat canalem, qui urinam ad alantoidem, quae in homine disputatur, ferat, an vero potius ligamentum sit aut vas lymphaticum, adhuc inter judices lis est. Quos Vieussens funiculi nervos adesse contendit, neotericorum nondum detexit sincera anatome.

Circuitus sanguinis.

§ 11. Quemadmodum embryo per metamorphoseos gradus transit varios, donec statum adtingit perfectionis; ita et haematis cursus foetus aetate varia varius erit. **CIRCUITUS ORGANA** quando formari incipiunt, dum eorū nempe canaliculum simplicem ac contortum offert, et arteriae cum venis necdum confluunt, circulus clausus deest, et ut in plantis observandum, humor vitalis sursum tantum deorsumque movetur. Prout autem cor magis explicatur et vasorum termini anastomosi incipiunt conjungi; ita et sanguis in circulum ferri inchoat perveniendo pedetentim eo, ut, qui mammalibus, necdum pulmonibus respirantibus, proprius est, circuitum eonsequatur, fovendo tamen aliquam analogiam cum, qui in piscibus et amphibiis obtinet, sanguinis motu, prout placentae functio cum bronchiorum congruit munere. — Cruor igitur vitalis restauratus in placentae parte

foetali atque a surculis venae umbilicalis receptus per communem funiculi truncum in cavum delatus abdominis, ubi potior ejus pars per hepar transeundo ab phlogisticis purgatus principiis in venam perducitur cavam adscendentem. Per utramque cavam haema dextro traditum sinui cordis, partim indolis venosae, arteriosae partim, aliam ac in homine nato ingreditur viam; aptus enim pro vita alenda sanguis, pulmonibus aërem nondum spirantibus, in corpus pellitur universum.

Huic fini respondens invenitur sinuum machinatio, cava enim haec foramine ovali minus clauso patens fovent commercium, et valvula Eustachii in teniori embryone adeo ampla observanda, ut omne fere haema versus ovale dirigat foramen, quo fit, ut in teneriori foetu omnis pene cavarum sanguis in atrium cordis sinistrum indeque in aorticum ventriculum atque aortae ope in corpus feratur universum.— Dum autem serius valvula Eustachii minuitur, augetur illa foraminis ovalis, talique pacto minuto commeatu inter sinum utrumque sanguis cavarum ostium versus venosum ventriculi pulmonalis pellitur, ut ideo in foetu maturo vix aliquis sanguis e dextro in sinistrum veniat sinum; nullus vero ex hoc in illum redire possit. Contracto hinc ventriculo dextro, qui per foramen ovale in sinistrum eorū traduci non poterat, sanguis in arteriam projicitur pulmonalem, ob pulmones vero adhuc densos, collapsos, aëre nondum diductos maxima sanguinis pars per ductum arteriosum Botalli, qui ex arteriae pulmonalis trunco, antequam finditur in ramos, ortum ducens aortae inseritur sub

arcu ejus magno, ut in omnem corporis defera-
tur partem. — Cum enim e pulmonibus paucus
redeat sanguis et, qui ad maturitatem magis ac-
cedit, in embryone vix aliquis crux ex dextro
in sinistrum feratur sinus; aorta pulmonali ar-
teria minor existit, crescit vero ejus amplitudo a
loco insertionis ductus arteriosi. — Qui in capilla-
ri systemate corporis universi, pulmonibus non
exceptis, sanguis incipit niger ad dextrum ten-
dens cordis sinus, qua via sanguis in placenta
restauratus per heparque viam legendu (quod
viscus et suam ad dephlogistisationem crux non
conferre symbolam non queat) ei admiscetur.
Sanguis arteriarum hypogastricarum arterias pro-
ducentium umbilicales in visceribus ventris oxy-
genio privatus humori similis redditur venoso, quam
tanquam pulmones veneratur foetales, in placen-
tam ut restituatur, defertur; — en et functionem
placentae notabilem! Alia vero circuli datur ratio
postquam foetus utero enixus respirat, quod serius
exponemus.

§ 12. Nimis arctis temporis sortisque detenti
angustiis foetus quoad menses singulos gradua-
rias evolutiones praetereundas putamus. Sapere
sat sit, ab omni primordio embryonis vitam mere
organicam esse; sapere sat sit, reproductivam vim
eo majorem esse, quo inferiorem perfectionis gra-
dum tenent corpora organica; quare et humano
embryoni varios perfectionis gradus transeundos
naturae dictant leges, quibus obediens embryo
eo majora capit incrementa, quo propior est o-
rigini sua: absolvitur enim embryonis vitae pro-
cessus pari generatim ratione, ac in homine a-

dulto ex vita plastica tandem vitae animalis emicat restauratio. — Foetus nunc eum nactus perfectionis gradum, ut propriam vitam vivere queat, naturae externae influentiis expositus, quem jam pondere suo solicitavit, utero excluditur matris NOVUSque homo mundum intrat, inter ploratus ejulatusque novam salutans vitam. In quod autem tempus partus legitimus incidat, supra monuimus; rarum est, ut partus praematurus signa status imperfecti non prodat. An autem foetus ultra terminum legitimum in utero commorari et vivus tandem nasci possit, quem partum serotinum vocant, inter judices disputatur.

Dispositio in morbos.

§ 13. Nonnisi vivum aegrotat; — ut igitur morbus vita absente cogitari nequeat: foetus vivit; ut igitur morbus in foetu cogitari queat; vivit vero foetus vitam organicam; ergo et morbi foetus vitae pro maxima parte organicae insidiantes sub titulo organicorum veniunt: hinc foetui praecipuam in deformitates et vitae plasticae errores dispositionem inhaerere patet.

Aetas infantilis.

§ 14. Homo neonatus respirandi et lac ex papillis mammarum sugendi officium suscipit, sed instinctu ductus, ut quidam volunt in rebus physiologicis dissertissimi. Primus vero actus inspirationem sistit contractione nonnisi diaphragmaticis positam hacque verosimiliter accedente atmos-

phaera antea sollicitata. Inspirat vero pulmone sinistro prius pulmo dexter, quoniam ramus bronchiorum dexter amplior et brevior est sinistro. Pulmones repetita ac profunda respiratione evadunt leviores, fiunt spongiosi, innatant aquae. — Cum primo respirio magna orditur et in mixtione chemica et in haematis motu revolutionum caterva: praevalentia carbonii evanuit in latice cruento, qui azoto et oxygenio redditur ditior, magis ruber et in coagulum pronior. Quemadmodum pulmones eorumque vasa haematophora per inspirationem extenduntur; ita haec majorem sanguinis copiam sibi adliidunt ita, ut ex atrio dextro in cameram cordis dextram (ventriculum dictam pulmonalem) et inde in pulmones deferri debeat. Valvulis foraminis ovalis ultimis mensibus jam sibi approximatis, eaedem ob sanguinis ex venis pulmonalibus in atrium sinistrum torrentis sanguinis undam magis adhuc sibi approximantur ita, ut paulatim concrescant, quamvis non semper perfecte. Sic et sanguis ex arteria pulmonali propter adtractionem vasorum capillarium pulmonum iter suum per canalem arteriosum non amplius sumit in aortam; hic igitur canalis ope contractilitatis contrahitur, concrescit formatque ligamentum aortae pulmonali punctum praebens fixum. Arteria umbilicalis antagonismum servat cum pulmonali arteria, placentae instar et pulmonum. Quemadmodum igitur in respiratione sanguis in arteriam pulmonalem prorumpit, nec paucissimus in arteriam abit umbilicalem; respiratio autem iterum confuso, haec sursus sanguinem dicit. Vasa umbilicalia contrahuntur, conerescunt

ligamenta formando, quum econtra major sanguinis quantitas ad extremitates currat inferiores. Hepar nonnisi sanguinem accipit abdominalem; vasa, sanguinem illi quae adducebant umbilicalem, perstant aperta radices solummodo systematis venaeportarum formantia clausos. Quoniam vero tali pacto minor sanguinis copia intrat jecur, concrescit nunc temporis et canalis venosus Bottalli;—pulsus neonati in minuta 140 ictibus aestimatur.

§ 15. Inter partum pressio, accedens alterum quoddam medium in cutem agens, aëris in pulmones infensilis intratio, queis infans dolose dolorificaque excitatur; his vero in eodem et reactio evigilat, cuius ope per vices fulminis ad instar pristine sua existentia redimitur vegetativa acquirensque, quam manifestat, autonomiam. Sanguis cum substantia musculari in contactu oxygenius confert, ut motus reddantur vividiores. Prima enim actio muscularis doloris est expressio, ejulatus vagitusque, primus cum mundo externo, quos produxit contactus. Altera muscularum actio evacuatione urinae et foecum manifestatur, quae ultimae nec solidae, lividae per aërem ut plurimum viridescentes cernuntur. Hae vero evacuationes pressione diaphragmatis una cum musculis abdominalibus in intestina sub inspiratione excitantur, talem habentes rationem, ut vesica plena in neonato cadavere, id non vixisse post partum signum praebere possit. Lucis in oculum stimulus repetitas post se trahens quammaximum sternutationes. Variis his evacuationibus non tantum universum systema museulare conquatitur major-

que activitas in iisdem ponitur; verum etiam membranae mucosae, caveam narium, tubum entericum viasque uropoëticas amientes easdem obtegente humido liberantur adque altiorem excitantur actionem. Nunc demum infans musculorum ope sugit, nutrimentum ab actione matris organica paratum praeparatumque assumit. Quod suctioni interpositum est, tempus dormiens absolvit, quo somno manus pedesque adtractos tenendo jacet, ac si ovo uteri esset inclusus. Integer ejusdem status praeter koenaestheseos sensum, qui actionem exserit, nullum adhuc offert sensum vigentem, quum paulatim demum reliqui evolvantur sensus.

§ 16. VITAM INFANTIS VEGETABILEM, ut ita dicam, sequitur nunc major sensibilitas, et quando acephalon inter parietes uteri degere ac incrementum capere potuit, paucis horis post partum tetra punitur morte. Septimana circiter tertia evigilat auditus, infantis in sonum dirigitur intentio; paulo serius oculus fit magis activus lucem capiens, cujus stimulus voluptatem adfert. Major itaque oritur communio cum rebus externis, exsurgunt paulatim perceptionum distinctio-nes, praeparanturque futurae mentis functiones. Mense 6. elapo vita manifestatur mentalis magisque redditur distincta, infans cernitur hilarior, attentior, res discernit ambientes, noscit matrem aliasque personas pluries sibi obvias, prodit affectus, gaudium, amorem, timorem.

§ 17. Pari tempore motus videntur, et, quam omne ingratum ploratu amovendum tentans manifestat, autonomiam quandam servaturus alius re-

pudiat auxilium, quo magis motus increscit. Oblata re amoena movet risum, aut et sonum eo conjungere potest. Muscularum mobilitas agilite multisfaria extremitatum manifestanda paulatim ad organa vocis transit.

§ 18. Praevalet in hac periodo reproductio sensim sensimque decrescens, quo magis homo ab originis momento recedit. Omnes partes magis in longum extenduntur; elongantur vasa novaque producuntur; et quo solidiores magisque autonomae partes fiunt, eo majorem ex corde procedenti vi expansivae resistantiam opponunt, ac eo serius et minus distinete perficitur incrementum. Sensibilitas inservit incremento, unitatem et symmetriam in formationes ponens. Minoris autem illud incrementum est notae in organis vitae centralibus, corde nimirum et cerebro, ita, ut cor relatim cum reliquo corpore primo vitae anno sextuplo majus sit ac in statu perfecto, nec non caput tertiam adhuc aut quartam integrae corporis longitudinis partem sistat, quum in adulto octavam tantum efficiat partem. Majorem partes accipiunt, quam antea, sanguinis copiam, magis etiam evolvendae; antagonisticam vero sanguinis copiae et incrementi in ceteris organis retardationem observare licet; quo fit, ut volumen earumdem aut absolute, aut relative minus reddatur. Arteriae faciales jam capaciores faciem excolunt. Ob minus sanguinis quantum hepar volumine decrescit, pulmonibus econtra eo magis excultis. Organa secretoria nullam cum rebus ex-ternis relationem foventia corrugantur, organis interim, quorum ope in mundum absol-

vitur reactio externum, perfectioribus. Haema ad pelvim et extremitates potius tendit ac ad caput, inde aequilibrium praeparando. Incrementum columnae vertebralis et extremitatum in longum nonnunquam silens; nonnunquam tardius; nonnunquam celerius procedit, quam rationem musculi voluntatis auscultant at involuntarii reproductio-
nem servantes musculi characterem exiguae, sed aequabilioris manifestant vitae. Intestina lata ca-
pacitate augentur, ventriculus in longum protra-
hitur et appendix vermicularis in intestino coe-
co ulterius formatur. Derma in partu caerule-
cens magis, post respirationem absolutam aequa-
biliter cernitur rubrum. Arteriis facialibus magis
magisque evolutis cavisque ossium faciei magis ex-
cultis, cutis genarum vividiori tingitur rubore,
ac in ceteris corporis plagis. Lanugo paulatim
disparet, cui succedunt capilli. — Ossa magis ma-
gisque consolidantur; concrescunt fonticuli, quo-
rum maximus ossa frontalia inter et vorticem ut
plurimum, post annum se claudit. Quorum 4.
jam embrionatus mense germina etsi tenerrima
conspicienda veniunt, dentes in caveis suis cre-
scunt eadem scilicet ratione, ut radices eorum
prolongentur ossificanturque ita, ut ob impedimentum,
quod radici fundo processus ponitur al-
veolaris, magis magisque sursum tendat corona
marginem maxillae superiorem, membranam oris
mucosam, nec non interpositum textum cellulo-
sum premendo; quo fit, ut vasa harum partium
nutrilia comprimantur atque vasis lymphaticis ab-
sorbeantur; dentes crescentes has igitur partes
paulatim perforant, donec post nativitatem mense

6., 7. aut 8. in conspectum veniant. — Perforationis exordium in maxilla observatur inferiori, quum dentes correspondentes in maxilla prorumpant superiori rato ordine ita, ut post 6. circiter mensem uterque adpareat dens medius incisivus maxillae inferioris, quem maxillae superioris brevi sequitur correspondens. Uno aut duobus mensibus elapsis conspicuntur ambo incisivi externi in maxilla inferiori, dein in superiori, Infans, viribus digestricibus insimul incrementum captis, masticat; quo temporis momento lacti materno valedicendum, vegetabili, nutricia et eupepto cibo alendum esse sapiens monet natura. Sub initio anni secundi primus prorumpit dens molaris; duos circiter menses post dens caninus, s. angularis, s. cuspidalis; vergente anno secundo tandem secundus in lucem emergit dens molaris. Tali pacto duorum plerumque annorum infans dentibus 20 infantilibus, lactantibus dictis, instructus incedit. Maxillis enim in dies magis magisque per eminentiam in longum crescentibus annum 4. inter et 6., qui permanentes jam audiunt, dentes proveniunt malores majores, (aliis bicuspidati) in quovis latere bini.—

§. 19. Ossibus et musculis extremitatum inferiorum anno primo validius, ac in utero, nutritis, viribus noviter acquisitis, in motum autonomum infans nisu ductus magis utitur versus finem primi aut initio anni secundi. — Quadrupedum instar nunc serpere tentat, musculis extremitatum inferiorum praedominium nondum tenuentibus. Jamjam erectum didicit servare corpusculum eoque aequilibrium sustentare, quod per-

ficiendi non tantum ob praedominium musculorum flexorum ei impossibilitas erat, verum et ob nimis grande caput ejusque pondus, ob columnam vertebralem debilem adhuc, nondum sufficienter ossificatam curvataque; ob minus perfectos ossium vertebrarum processus spinosos; ob deffficientem sat amplam in pedibus basin, nec non ob pelvin minus evolutam, cuius axis horizontem spectat. Per hanc vero aequilibrii sustentationem et locomotio paulatim datur, quae magis magisque confert, ut loco se movens parvulus vires suas nosse discat et cum vividiori sui conscientia magis evigilet■ attentio.

Dispositio ad morbos.

§ 20. Natura — hominem tantum nudum et in nuda humo, natali die objecit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas et has protinus vitae principio (*). Minus vitae quamvis rapidioris robur, major organorum teneritudo et mollities in causa sunt, ut infans potentiis inimicis amplius offerat atrium et facilius cedat, majorem inde ad morbos dispositionem reliquis aetatibus habens, quam et tanta morborum et nigrae mortis in aetate infantili cohors, eheu satis comprobat matresque cadavercula moestae deplorantes testantur. Peculiaris ceteroquin vitae ratio, cuius nisus praecepuus in formationem convertitur; nervorum et

(*) Plinius secundus Major Lib. VII. C. 1. de bouine.

musculorum agilitas summa; cerebri moles, inque plasticam vitam magna potestas, dentitionis opus in nervorum vasorumque excitantem exserens effectum; illud tandem, quod potentiarum nocentium longe plurimae corpus per canalem irrepunt alimentarem, infantem recens natum ad morbosas vitae plasticae affectiones cum nervorum saepe turbis conjunctas per eminentiam disponunt: unde tot digestionis et adsimilationis vitia, acidum primarum viarum, abnormis muci secretio, diarrhoea frequens, aphtae, atrophia, rachitis, hydrocephalus, nervorum distensiones, subluxationes, luxationes, claudicatio spontanea etc. facili concipiuntur negotio. Evolutis autem in dies magis magisque nervis, musculis ossibusque, et qua ratione vitae animalis organa persiciuntur, eadem etiam hujus potestas increscit et in vitam plasticam renitus; quare quamvis magna adhuc ad morbos vitae plasticae dispositio supersit, simul tamen proclivitas in affectiones abnormes vitae animalis, uti scrophulae, exanthemata, tussin convulsivam, anginam membranaceam, quae hocce tempore infantili insidiantur aetati.

Aetas puerilis.

§ 21. Stadium puerile orditur a secunda dentitione ad pubertatis evolutionem excurrens. Dentes secundi sive permanentes dissepimentis a lacteis jacent separati in mandibula; evolvuntur, crescunt, lacteos adtingendo dentes, eorum radicibus surculos dantes arteriolas premunt eoque pabulum detraendo, resorptione interim proceden-

te; tali ratione radicibus resorptis lactei vacillant dentes elabunturque ordine eo, quo prorupere. His succedunt permanentes fixi aut dentes secundi, quorum germina in embryone jam delitescebant, magnitudine excellentes eumque servantes ordinem, ut primo incisivi, dein primus dens molaris bicuspidatus, quem sequitur dens caninus; nunc venit secundus molaris priori similis molari. Primus molarium majorum, ut distinguatur a prioribus duobus, qui secundum Odontalgiae Professorem Dr. de Carabelli, cuius in hac medicinae sparta eruditione in nostri aevi acrybeia non indigam putamus, *Backenzaehne* adpellantur, anno jam 4. prorumpens permanentem sistit nullo alio substituendus. Anno 8. aut 9. novus jam extat dens, secundus nimirum molaris major reliquis 24 adnumeratus ad 28 usque eorum numerum exemplens. Haec vero dentitio magnam ponit in corpore mutationem, quod nunc extenditur in longum, caput incremento majori desistit artibus inferioribus magis perfectis: quibus omnibus organismus integer adulti hominis proportioni ~~ad~~ appropinquit. Ossa majorem perfectionis gradum adtingunt, cranium sese claudens permanenti donatur characteristica forma; portionibus pluribus composita ossa, mandibula inferior, vertebrae, ossa ilei in unum concrescent os; ossa varia cartilagines apophysibus magis magisque extensis concrescent; in ossificatione popliteae nil amplius desideratur. Textus cellulosis universim adhuc praevalet gelatinam in tota corporis mixtura excedentem praeseferendo; quo sit, ut agilitas et multiplicitas motuum fundentur. Fibra nequaquam exulta minorem pos-

sidet azoti copiam ac in adultis contingit. Musculi cadaveris puerilis sunt gelatinosi, minorem in putredinem offendunt praerogativam. Membranae fibrosae sunt gelatinosae, molles, facile cedentes. — Musculi debiles admodum irritabiles facileque concitandi continuo ad motum distinguuntur nisi. Systema arteriosum maxime activum insigniorem praeseferens diametrum fluidi plus continet ac in adultis; quibus ulterius capiendi incrementum fundatur facilitas. Praeceteris activa cernuntur vasa reproductioni unice dicata, vasa lymphatica glandulaeque nominis ejusdem. Membranae mucosae magna pro stimulus recipiendis notantur aviditate.

§ 22. Nunc demum massa organica ulterius expedita una cum virium formatione correspondente perfectiori status in puer dynamicus disserendi locum invenit paululum, quantum humeri ferant, fusius delineandus. Viribus novis adhuc ideo nondum obtusis talis imprimitur character, ut facilius recipient atque in stimulum reagant vividius, ast exigua perseverantia ac fortitudine: est enim lex in natura ab ovo usque ad malum rerum existentium, lex definita pulcherrimis, quos nulli adhuc naturae pictorum immitari fuit datum, coloribus ab eximio Nostro HARTMANNO depicta. Non igitur mirum tantum videre nisum in actionem continuam, animum nova captandi et dulcem in se ipsum fiduciam. Magna pro stimulus receptivitas secum fert eruditionem, sed et validam ad consuetudines et desuetudines pronitatem; ad eruditionem nisus lubentissime sympatheticis cum reliquis ho-

minibus ambientibus sensationibus excitatur, eoque nisus evadit immitandi; vivax est phantasia et nequaquam in altiora directa objecta puerulum novae eique ignotae tradit relationi sibi ipsi blandienti; mentis actio nonnisi perceptionibus haeret amoenis, quum econtra, quae extra sensus jacent, sensatione patefiunt et in voluntate qua instinctus prorumpit moralis: quando ita dicere fas esset, minorem hominem inter et bestiam necessitatem assumere liceret, ac nonnullis philosophis placuit nimis bestiarum amantibus. Progerminat obscura quaedam vis cuiusdam primitiae imponderabilis, nec tempore, nec spatio addictae animam, ut ita dicam, macrocosmi efficientis, quae posita, quam mundum nominamus constituit; evigilat haec sensatio sponte sensationibus independens in timore prae sycophantiis primo conspicua.

Dispositio in morbos.

§ 25. Praedominium in hac aetate textus cellulosi ejusdem systematis aegritudines, licet minores, quo proximior aetas juvenilis accedit, producit. Idem agitur cum vita irritabili ac sensitiva minus virtutis potentissimis opponente externis, ea tamen differentia, quod morbi horum systematum frequentiores passim occurant, activis, ast non necessario. Actio vividior vasorum reproductiverum, vasorum lymphaticorum et glandularum ejusdem nominis magnam involvunt affectionum morbosarum necessitatem, quum etiam accedat, ut fomitum morbidorum facilior permittatur susceptio. Membranae mucosae irritabiles ni-

mium, extus vero summe patentes haud raras et fixas sistant morborum sedes. Irreparabilem tam facile et eheu, non raro tenerrimae genti perversa animi et mentis directio imprimit labem, quas enumerare earumque reddere rationem psychopathologis convenit.

Aetas juvenilis.

§ 24. Illa vitae humanae periodus, quae tantam in organismo metamorphosin ponit proteiformem, sive spectemus corporis, sive mentis animique facultates scrutemur, florem omnis evolutionis praeserferentes, ut nobis objectum sit viribus omnibus dignum, quod licet summus fuerit animus, tamen quisque lectorum eruditorum in hac physiologo et psychologo terenda area inveniet. Res publica vero non minus magnum inde, quando paedagogorum munus sanctissimum ita esset absolutum, quomodo exquisita in hanc juvenilem periodum dictat eruditio, emolumentum hauriret, nec non parentes tantos in filiis et filiabus deplorandos haberent nostri saeculi scripulum adeo defoedantes, ac sordidis nebulis obtegentes, si educatio non fuerit perversa maculataque, si genitores in seligendis educatoribus ac eductricibus majorem foverent solertiam natosque illis ut plurimum traderent erudiendos, quibus et sapientia et sal est *propriae experientiae*.

§ 25. Hanc aetatem non immerito omnis temporis decantatam lyris, poëtae cum anni vere compararunt, religiones nonnullae post tumulum vitam futuram dulci ac insonti ludibrio floridam

sibi imaginarunt juventutem. — Propter quod hominis evolutio ab hinc rapidius procedat, novus et animae et corpori imprimitur character; ut vero homo hoc adtingat perfectionis culmen, insigniori indiget temporis intervallo reliquis animantibus origini proximioribus: qualis ratio et obtinet in nationibus, quarum mentalis excultio non tam alta gaudet scala, et ^{quae} evolutionis perfectae limites pre illis citius tangunt; quod per vastas terrarum regiones oceanumque peregrinantes testantur. Quotiescumque entes vegetabiles eorumque evolutionis ulterioris periodos consideramus, quum planta quaedam nobilior minus ignobili serius cyclum suae percurrat vitae, satis abunde comprobatum habemus. Gradum hunc perfectionis foeminae praे viris celerius ac evidentius nanciscuntur, quem nos pubertatem vocamus. Tempus vero, quo haec intrat, determinare minime valemus, quum clima, consuetudines variae, educatione, praematura nimiaque mentis intentio, in alterum sexum lege citius se manifestans libido aliaeque circumstantiae laterales symbolam suam hue conferentes illam seriorem ocyoremve reddere queant. Vivacissimum nostram in rem argumentum polum oppositum utrumque offerens in nivearum et sole fere ambustarum regionum, quarum soboles sunt, puellis habemus; vegetationi cuivis obsecundans Itala terra puellas puberes reddit duodecim annorum.

§ 26. Vis plastica in sistema genitale jam nunc directa insignis totius organismi revolutionis in causa est. Hac periodo in juvēne ab initio pilli teneri (lanugo) in faciei labio superiore, in men-

to, nec non in regione pubis erumpunt, qui de die in diem frequentiores, longiores crassioresque adparent; larynx fit amplior, unde vox profundior, validior, asperior; brachia solidiora, incessus firmus; testes acquirunt vasa majora, magis magisque secernere incipiunt, paris ratio et in glandula observatur prostata. — Pueriae jamjam loquuntur voce sonora, elevantur mammae juvenile decorantes pectus seducente albedine suavi, fiunt turgidae, porriguntur eoque magis quasi oscillando, quum amans adspiciant objectum; crura magis divergentia, progerminat lanugo in pudendis, prominet mons Veneris; uterus sanguine prius inops cartilagineeque durus ditior evadit vasis, levior, magisque succulentus; intrat fluxus catamenialis omni lunae qua tributum solvendus, et matura fit virgo acerba.

§ 27. Quae antea somno vitam degebant occultam, organis evigilatis eorundem existentia actionibus iisdem solum propriis patefiat oportet, quarum et directionis ratio peculiaritatem quandam involvit: quos nec somniavit antea organismus invincibili modo in alterum sexum diriguntur nisus novam inseparabilemque efficientes unionem, cuius productum nil nisi propagationem et generis humani numero numeri auctionem constituit. Temporis puncto, quo planta meretricia pulchredine sensus mirabundos splendentibus coloribus aromateque suo in gaudium offendit, exhilarat, roboratque, eodem momento in formationem individuorum sibi similium videtur intenta; robore acquisito ac virtute per omnem organismum inflata, ad propagationem nisum in animali

natura tanta excitat fortitudine, quae saniei proxima nulibi ac in realisatione ejusdem nisus pristine requiei locum invenire permittit; miro et in homine hic nisus excitat effectus. Tenerima puella prima jam juventa sensationem quamdam occultam in alterum percipit sexum, quam ad altiorem quemdam esse destinatam scopum nulli non censemus.—Peculiari sensatione in foemina perilitur adolescens ejusdem rationem nec sibi, nec aliis reddere quiens, prima germinatione ad psychen potius, quam ad somma referenda, quin organorum genitalium intercedat mechanismus, in altius cum reliquis individuis haec periodus impellitur commercium; oculus definitis non amplius addictus terminis majorem naturae existentis perspicere et scrutari contendit fortiusque *Unum* quoddam in singulis et toto omnians, et quidem adeo, ut singulari in concreto imperfecta esse sentiat sensationibus ductus sympatheticis. En, amicitiae vagabundae in juventute ortum! en, primum pro firmioribus radicibus amoris in alterum sexum figendis germunculum primum! qui vero amor chimicae et electricae adefinitionis instar in homogeneitate locum habente antinomia partim, partim de die in diem magis se enucleante pulchritudinis sensu fundatur ac primus semper genuinus psychicus ac idealis, postea vero ac insensibili modo corporea natura miscendus corporeas ponens adeptentias.

§ 28. Adolescens non amplius infantili delectatur ludo; amiculorum gaudium recusat; quum econtra praesentis amiculae necessitas magis urgeat ac antea, absentem vividius cupit videre ac

involuntarie ferme, quo dulcinellam invenisse somniat, adgreditur locum; cogitat de ea vigilans, somniansque de nocte ejus imaginem cernit. Illa vero insontis florida puella hilaris juvenis lumen vivacia, quin pudore perfundantur genae, non amplius perfert, eadem tamen lumina fugere velle eidem animus non est; occulte in juvenem nictitat, oculum in terram figit et suavis veluti Aurora rosea insontiae rubedo genas suffundit, quam primum ejusdem oculus huic obvius redditur amantis; improvise quando concurrit uterque expavescit, fortiter palpitat corculum, opprimitur pectus; profunda suspiria mittit absenti et loquax fit taciturnus, fit moestus, de nocte inquietus in tenebras spectat, spectat in noctivagas faces coeli iiscum vigilias cum somno mutando uterque. Veluti fragiles ab aura vibrantur aristae omnipotente uterque agitatur amore. Quamprimum vero, quae expostulant, vividius persentiunt, eaque norunt; quid non suscipiunt ad satisfacendum nisui ac dependentibus plenas carpendas vitibus uvas! — Labor nullus nimis premens, suscipitur; periculum extat nullum, perfertur. Quaecunque in deliciis et officiis habentur, dulcissimo libantur amori; potus repudiantur et cibus, requies fugitur et somnus, parentes deseruntur et natales, imo virtus frequenter haud respicitur et honos, objectum amatum omnibus carius, quae huicdum cordi cara et optata fuere, aestimatur.

§ 29. Hujus vero pubertatis periodi introitu altiores hominis facultates perseverante altiori receptivitatis gradu fortitudinem offerunt majorem

et ad actiones continuas et novas stimulos suscipiendo nisus in sciendi erumpit cupidinem; imaginatio enim fit vividior et vivacior, pro pulchritudine sensus non minus ac pro quovis ideali magno magis magisque evolvitur et propriae vis magis magisque crescens sensatio, fortitudinem animo imprimit et spernere pericula docet. Ast receptivitas spontaneitatem superat; nec voluntas adtingit dominatum; inde incontinentia et characteris firmi absentia. Quid vero dicamus de hanc periodum tenente tam magno in reliquum corpus dominio amoris, qui, ut clarissimi praceptoris HARTMANNI verbis utamur, divinae est lucis radius generi adfulgens humano. Tanta in reliquam oeconomiam juvenilem non minus ac in omnem aetatem dignitas a canis temporibus perspecta omni ex parte expedit hujus affectus expeditius exponere valorem. Si vero amor ad hoc usque momentum dignum unquam invenit praecconem, dignissimus certe vocatur, quem immortalē colimus, noster HARTMANNUS, quem ducem salubris artis redivivum Hippocratem, quousque licebit pro viribus sequi juramus. Profunda enim ratio omnem terrarum orbem in stuporem convertens hujus praedilecti Magistri, eheu, ante diem erepti, cum castissima observatione unita omnem jure in se non trahere animum non debuit. Sic veterum stetit secura fama, sic praeiuit HARTMANNUS meruitque coelum! En verba mox adducenda circa amorem ejusque ad organismum relationem ab secula superveniente Magistro HARTMANNO prolata. "Nur die Liebe ist fachig zu grossen Gedanken, Planen und Unternehmungen, Liebe

„helle der Menschen an Menschheit, macht ihn gefühllos für
 „freude Leiden, gutbärtig, unfehlbar in Gefahren und empfindlich
 „für jede Freude des Lebens. Wer nie liebte, ist Egoist klein-
 „denkend, eigmütlig, geitzig, furchtsam und lückisch, unempfindlich
 „gegen reine Freuden, siebischer, ob mancherlicher Wollustling.
 „Wohl also dem Jünglinge und dem Maedchen, welche ihre
 „Herzen reuscher Liebe weiben, wohl ihnen, euen sie diese kost-
 „bare, aber zarte Pflege pflegen und sorgfältig bewahren, damit
 „sie durch ihre Blüthen Wohlgeruch und Kraft verbreite und
 „Frucht bringe in Fülle.“ (*) Et revera amor vincula
 sistit, quo et res domesticae et publicae in unum
 quoddam coalescunt hominemque singulum homi-
 nem faciunt ac, qui eidem praefixus est, scopo
 adducunt. Quaecunque utilia cernuntur, vitae tan-
 tas miserias quaecunque facilitant animoque im-
 mortalitatis imaginem praeludunt, amori deben-
 tur; sed amori nunquam solis qualitatibus exter-
 nis superstructo eoque nec praemastro, nec im-
 modice in usum tracto. Gratulamur illi, qui
 fructibus hujus adfectus distinctis fruitur cancel-
 lis! Quomodo vires suas enucleet, aspicias velli-
 mus juvenem castum. Quam homini die natali
 sapientissimis haustibus vis mundi inflavit, virtus
 in eo adhuc viget divinitatis; vide ut omnes pro-
 prietas sui corporis, animae facultates omnes e-
 volvantur, quae perfectionem praesentant huma-
 nam: corpus mirifice et firmiter excultum, agiles
 sunt artus, pectus superbit, florent genae, ob-

(*) Glückseligkeitslehre von Pb. C. HARTMANN 1808.

Dessau u. Leipzig. p. 149.

tutus serenus, intrepidus, liber ac conscientius valoris sui, frons elevata coelorum aemulans serenitatem, sensus acuti, animus intrepidus ac mens serena claro oculo resplendens, fortis ac minime otiusus vitae percurrit Oceanum, qui reipublicae civis futurus: et, quando muneri cuidam in statu fungitur patriota fidus, maritum se exhibit conjugi, parvulis patrem, amicis amicum, civem patriae et hominum non nemini hominem. Cogites quaecunque, officium habes quodecunque, fide; curat enim opes, servat arcana, honorem, amat patriam, et fortis et fidus et sapiens est. Talis in vita terrestri homini convenit scoena, qui nunquam libidini vagae inordinario modo thura libavit: fortitudo et sanitas sunt, quas sibi elegit, partes; arboribus enim nunquam praematura carpserat poma—; nunquam anima perfidiis tangitur mundi, coelis delectatur et solum Myriadibus gaudet et floribus veris et cornucopiae aestatis et fructifero autumno et dulci jubilo et vitae animantium et gudio hominum gaudentium: nervi, nam robore abundant, nequaquam obtusi; fit haeres fortunae, felicitatis particeps coronae, qui consultuit sapientiam, ac virtutem est sequutus ductricem.

Non minus puellae insontis imago nil nisi pulchritudinis et perfectionis culmen resplendet. Quaecunque deliciosa videri, amoena sentiri et alta possunt cogitari muliebris in sinu suo recondit ac fovet insontia: organismus est tener, membra abrotundata, gracilia, mammae turgescunt, genae vitali roseo suffusae rubore, oculus fere ignivomus pudicitiam occulte recondens, domesticis rebus ingenium intentum, digitii teneri ad teneros

prompti labores; mores sinceri, actiones, ut animus; talis ingreditur foemina opus creationis mirificum venerationem ac aestimationem ab omnibus, quae eam ambiunt, mirum in modum metens. Quam primum autem hymen utrumque vinculis suis quoad res terrestres ligat aeternis, gaudii omnis portus omnia patefacit maria, et spatium terrae nimis angustum credens astra in testimonium felicitatis suae alta convocat voce.

§ 30. Pari exultioni in hac periodo corpus subjicitur: ossificatio finitur et cum ea incrementum in longitudinem; dens ultimus molaris prorumpit, dens sapientiae dictus, dentium 32 numerum explens;—superioris partis corporeae superioratus evanescit magis vivente genitalium activitate; sistema arteriosum praevalet et processus plasticus, regeneratio et sanatio vulnerum rapidius procedunt; eo etiam pulmonum augetur actio; muscularum rubedo vividius procedente respiratione perficitur summa; thermogenesis integrum occupat organismum magis magisque increscens, cutis inde actuosior plus secernens propullulationi obsecundans pilorum uberiori ad genitalia simul et in masculis ad mentum, non minus in fovea axillari, in pectore et ad femorae; cum arteriis antagonistice vasa lymphatica virtute sua recedunt.

Dispositio ad morbos.

§ 31. Praevalens nunc vitae animalis, et praeprimis sensiferae potentia alacriorem sanguinis metamorphosin per respirationem sustinendam re-

quirit. Hoc ipsum simulque vasorum cerebri capacitas in causa sunt, ut sanguinis torrens ad pulmones magis convertatur. Quibus omnibus, quando functionum genitalium addas **renisum**, vitae rationes omnes, tum internas, tum externas sub hac aetate magnopere mutari et novam inde ad morbos dispositionem ordiri facile perspicies, neque amplius te latebit, cur juvenes pulmonum inflammationi, haemoptisi, phthisi, morbis ex turbatis functionibus genitalibus, vitae tandem sensiferae et animi alienationibus adeo obnoxii sint.

Aetas virilis.

§ 32. Vigesimum inter et trigesimum annum corporea hominis natura maturitatem adipiscitur et summum, qua pollet, perfectionis culmen. Quemadmodum proportio incrementi in longum perfecta; ideo et magis fluidum inter et solidum, fibrinam inter et gelatinam stabilitur aequipondium. Fibra imprimis praepollens, unde musculi fiunt solidiores, densiores et profundo tincti rubore; in latitudinem incrementum perstat, ossa validiora eorumque proccesus magis prominent, cor musculosius, ita et cetera intestina volumine augentur arteriis eorundem amplioribus, densioribus, compactioribus et contractioribus; membranis fibrosis major jam competit consistentia et densitas, ita et cuti magis fibrinae; talique pacto organorum robur augetur et firmitas, unde major eorum cohaesio et maxima reactionis potestas; — minor nervorum receptivitas maioresque irritabilium vires fibrarum motus organici et voluntarii,

spectata intentione, maximum ponunt vigorem. Hancce periodum perfectissimam vitae aetatem declarare nos omnes audemus aetati juvenili nequam postponendam, verum enim vero huic superiorem habendam; pro qua sententia et ratio loquitur et omnium mortalium unicus consensus, quibus ducibus illud solum perfectum audit ens, quod nemine non organo ejusque functione prium actionibus suis libere perficiendis cum libertate, cui destinatum est, scopum adtingere potest. Ideo et felicissima et omnibus extollenda laudibus aetas virilis: vigent enim ceteris paribus, quibus procedit ulteriusque propagatur genus humanum, partes genitales efficacissimam prodendo energiam. Qui hanc felicem p^rae omnibus periodum vivis vir, utere, quas tibi tribuit natura, evolutissimis dotibus; carpe nunc plenas de pendentibus vitibus uvas, et fac cum uxore dilecta, res domesticas earumque dispelle curas! -- Amor vero licet in propagationem sui generis sit directus, jam magis subjectus est rationi, qua duce a viro omnia repudiantur ac in eligendo objecto maximam circumspectionem patefacit. Hoc non minus in sequiori obtingit sexu, cuius vitae directio in eundem collimat scopum.

Encephalo ad summum evolutionis fastigium producto suprema animae facultatum sphaera explicatur; imaginationis excessus ratione moderatur; memoria quamvis difficilior, nullo tamen tenacior in viris, quam in juvenibus invenitur; viget mentis acumen, prudentia, maximus rationis usus, nec non promptissima judicandi facultas; animus constans firmusque advertitur, id quod

majori nervorum firmitati rationisque tribuendum potestati.

§ 33. Circa annum circiter 40. viscera abdominalia sanguine abundant, praeprimis lien et hepar; prouti vero venae diametrum acquirunt maiorem et in partibus patent externis, etiam venae portarum systema incipit praevalere. Vis plasticae praequantum adipis impenditur secretioni, quum econtra pilorum imminuitur incrementum.

Ad morbos dispositio.

§ 34. Ob sensibilitatem temperatam aetas virilis potentissimis inimicis minus patet, et ob validorem, quem illis opponit, renisum, quibus infestatur, aegrius cedit: quare quamprimum huic aetati conceditur vitae conditio sanitati aliquo modo favens, minima inter reliquas ad morbos offertur dispositio. Attamen quum aetate progrediente virili nisu in contractionem paulatim superare incipit, eoque arteriarum capacitas paulatim imminuitur, facilior nunc fit sanguinis in venis adcumulatio. Systema venae portarum huic errori praeprimis obnoxium esse atque inde et ex frequentiori simul functionum genitalium exercitio dispositionem illam ad morbos, qui in viscera abdominalia suam agunt radicem, virili aetati solemnem repetendam esse, nemo non intelliget neque experientia quotidiana non inveniet. Hepate et lieine mole auctis atque oxydationis processu immunito obesitas, uberioris bilis secretionis et polycholiae symptomata in conspectum veniunt.

Aetas senilis.

§ 35. Aetas senilis illam vitae humanae sistit periodum, qua organismi massa et vires sensim sensimque decrescunt, donec homo dirae succubuerit morti. Expansionis limitatio et terrestrium praedominium senectutis denotant characteres. Cordis et arteriarum actio minuitur, inde tardior pulsus; sanguis non amplius ad systematis arteriarum extemos propellitur fines et vasa ultima contrahuntur in fibrosa concrescenda fila, arteriae evadunt tensiores, earum fibra muscularis siccior et membrana interna saepe saepius ossificata, quibus fit, ut integri corporis incitabilitas imminuat et praesertim nutritio, partiumque decrescat substantia.—Omnium primo dentes vacillant, labuntur. Annus vitae 12. dentium incisivorum apices facit evanescentes, quorum jam anno 21. quidquam de substantia deperditur vitrea, annusque 40. tertiam jam metit partem coronaæ. Post annum 50. ob nutritionis inopiam perseverante resorptione non minus ac ob impletionem eorundem cavorum internorum cum substantia ossea, qua nervi et vasa actionem suam exserere amplius nequeunt; dentes vacillant ac in semper suos deserunt natales.—Physiologi haud pauci dentitionis tertiae adducunt exempla, quae vero minime negantes, probare tamen contendimus, hanc aetate contingente senili novam dentium prorruptionem dentitionis tertiae nomine insigniri nequire, quum potius talem novorum dentium propullulationem maxillæ processusque ejus alveolaris in senibus

resorptioni validius obtinenti adscribendam esse nullo non jure censemus, qua metamorphosi in processibus alveolaribus regrediente evenit, ut dentes, quorum germina priori aetate delitescebant, nunc sese extollere et foras non prorumpere non potuerint. Quod regreditur, progressus possibilitatem excludit: quod regreditur, nunquam producit, sed non nisi, quae fuere jam producta, patefacit foras. — Maxilla enim inferior evadit angustior, inferior faciei pars brevior, prominet magis mentum; textus constituens gingivam econtra firmior et ad masticationem, quamvis imperfectam, pronus; viribus insimul digestricibus decrescentibus, gelatinæ imminuitur formatio et substantia terrestris superbit; secretionum omnium major exigutas, uti seminis in viris, ac mensium in feminis; textus cellulosus caret turgore, corrugatur, abdurescit, cui cutis firmius adhaeret, quae imminuta adipis secretione siccior, plicata firmiorque: sebi cutanei evaporatio et secretio pristino suo desistunt vigore; epidermis se fudit ac desquammat; unguis solidiores, crassiores; canescunt pilii, emoriente eorum reti vasorum, decidunt demum; ossa debiliora, facilius frangenda, quum econtra exsurgent ossificationes arteriarum, cartilaginum tendinumque; musculi involuntarii imminuntur massa, corrugantur, magis tenaces, sanguine orbi, quorum labitur actio, motus vero tardi, difficiles, trementes, sine ordine vagi, adeo ut in primis infantilis; caput labitur antrorum, curvatur dorsum non minus ac genu; loquela debilior, rauca, tremula; musculi involuntarii paulo serius destituuntur actionum vigore; quemadmodum pulsuum fortitudo

numerusque ictuum imminuuntur, itaque et venae debiliores evadunt amittunque contractilitatem; sanguis in iis tardius movetur, quas magis expandit, p̄aeprimis dilatantur inferiora versus, quam vero dilatationem vena pulmonalis nondum experitur, quum major sanguinis copia in venae portarum accumuletur systemate; glandulis vero p̄aeceteris durioribus, firmioribus et sanguine magis egenis; jecur et renes insignem reservantes sanguinis copiam, cute, testiculis etc. jamjam otiosis, adhuc secernunt.

§ 36. Corporis hebetudinem senectutis constitutere characterem, verum est, sed anima hebes huic aetati nequaquam convenit. Respicias velimus, multis aliis exemplis omissis, biographiam de arte poëtica meritissimi viri G O E T H E, cuius omnium sensuum acies, licet in provectissima versaretur aetate et florentissimum aemulari valuere juvenem; quod satis satisque comprobant novissimis suae senilis vitae diebus lineae multae in lucem prolatae. Animae organa inservientia valore quidem cernuntur minore: abtunduntur enim sensus, memoria madescit, meditatio assidua languescit; ast normalem statum non nisi respiciendo, et nunc temporis facultates mentis vigentes scientiis accumulant scientias, experientias numero augent et sapientiae tam altam ostendunt scalam, quam mortali adscendere datur.— Torrente sanguinis non amplius animi confunditur quies; affectus pusilli egoismum redolentes sunt jugulati, sed servido amore et benevolo animo plenus futuram senex adspicit progeniem, sortem divinatur nepotum, quibus benedicit senex, et nullum non

objectum, quod magni interesse posset, generi humano genuinam excitat ac inflataffectus flam-
mam senemque juveni reddit similem. Haec au-
tem hujus requies aetatis fructum solummodo
sistit vitae, cuius directio ad humanitatis ideale
fuit intenta, ideoque adeo rara. Ter quaterque
senex beate, qui cano notaris capillo, qui tam
vastam percucurristi itineris viam, qui entis uni-
versam regnantis naturam semper p[re]ae oculis ha-
buisti vocem — altaque reposuisti mente, quod
tuum erat, satisfecisti officio! Quamquam pristino
de die in diem destitueris valore, quamquam
pede insecuro ac ancipi[ti] jamjam progrederis pas-
su, noli, precor, sortem dolere tuam: sunt enim
attributa cuivis creato, est absolutio legis ab ani-
mo mundi—sancitae. Quaecunque eveniunt, res
sunt mundanae; respicias velimus serum arbores
comis, prata et agros vivaci viredine orbantem
autumnū: viruere arbores et agri et prata, de-
lectavere, fructus obtulere, ac in animis eorum,
qui iis sunt usi, et laudes et grates sibi promeruere.
Sol culmine suo paulatim declinat facieque sua
splendente jamjam ad Hesperum spectat in Oceanum
immersurus aquarum: ast fulsit, terrae don-
navit calorem, exhilaravit creaturas, quarum gra-
tibus totos implevit cordes. En tui status imagi-
nem praesentis: laborasti, tulisti, sudasti, alsisti,
recreasti, quod tuum erat persolvisti et tuum sequi
exemplum natos nepotesque docuisti! Quae sint
eventura, ne reformides: arbores utut dira antea
hieme tectae vere novo novas habebunt comas;
novus tandem nigrae noctis sinu exsurget sol in
opposito coelo!—

Ast ad itineris metam tam longi quicunque et juvenis et vir monimentum de semita tibi declinasti praesixa, hebetudinem mentis et animi senex deplorandam habebis; qui adolescens absque ordine terristi vitam; quicunque in vanis tuam invenisti existentiam; nec ad ideale quoddam laude dignum tuum adulisti caput; quicunque mundanis detentus fueris vinculis, nunquam altiorem respexisti ordinem rerum: et animi premeris hebetudine et congelascente frigore mentis et sordida cupidine habendi et avaritie furiosa—. Nonne, quum vitae tuae retibus mare pernavigasti tuis, in portumque tuam vis pellere navim, quod praestare tuae recusant vires; nonne linteis novis, robore restaurato in alia via tuum cupis repetere cursum? Sed nec dant venti, nec dat mare ratesque praestare recusant: factum est irreparabile, recusatusque portus, navigium tuum non nisi diris traditur procellis. Quicunque pessum dasti corpus animique dotes, utrumque possum datum dole; vide, ut corpus vacillet; vide, ut levissima aura crurum exesorum obtusos feriat nervos, ut skeleton tuum miserabile visu per ornatissimam serpat naturam, ut, qui exemplum potius exhibere debuisses, nepotibus sis aut odium aut taedium et cachinnus et risus. Quid vero nun te non taedet pudetque, qui civibus utiles addere debuisses cives, publici juris fecisse skeleta viva keletis novis inundantia mundum? Novissima jam tibi sonat hora, lumina semet claudere incipiunt, clauduntur, rigescunt membra, motus nullus, mox lethaeis sopieris aquis, conderis terra, fit tibi tumulus, sed progeniei tuae lacrymis irroratus,

quem illucere et solem pudet.—Quales tandem senectutis deliciae illos manent, quibus animus erat, quod nostris temporibus vulgatissimum exemplum, mentis suae foedae productis stirpem defoedandi adolescentem? Quaecumque cogitarunt, surda et lubricosa scripserunt posterioribus qua specimen ingenii maculati tradituri. Redueimus, quae acute protulit Denis, ad sequentia:

Was ibaten euch Thuisko's Heldensöhne?

Ihr macht sie geil und feck.

Was ibaten euch Thuiseldin Enkelinen?

Ihr decktet sie mit Schau.

Ond eure Gaben? ach sie würden vielen

Von euren Volke Gift.

Sie wecken böse Brust und Thierbegierde.

In mancher heuscher Brust.

Wer keilet diese nur nach eurem Falle

Von dieser schauder Sucht,

Wer jene, die von diesen angesteckt,

Ein gleiches Vibel frisst?

Wer daempfet eure Lieder? ach sie schallen

In gaenger Erde Teuls.

Wer tilget sie? sie daueru, wirken Übel

Wbis an der Leidcu End.

Denis.

Dispositio in morbos.

§ 37. Quo minor autem vitae vis, eo minor etiam in destruentem naturae externae impetum renisus et eo major ad morbos dispositio, preeprimis ad eos qui debilitatis et languoris vitalis notam praeseferunt et sub apoplexiae paralyseos, asthmatis, arthritidis, hydropis, lythiaseos aliarumve cachexiarum, quae cum organorum textura alienata, scirrho, etc., saepe saepius cohaerent scheme, decrepitam prosequuntur opprimuntque senectam; maximus vero consuetudo senii morbus.

§ 38. Quoniam organismus humanus omnibus vitae diurnae adminiculis respondentibus gaudet, inter hominis praerogativas longaevitatis merito referenda. Legitimus vero vitae humanae terminus difficulter definitur: observatio tamen docet, cetera animalia octuplo longius vivere, quam corporis durat incrementum, quando vero hanc observationem ad genus applicamus humanum, tum aetas congenita — 160 annorum erit. Plures quidem vetulae inveniuntur, quam viri; summam tamen aetatem, quam hi nonnumquam adsequuntur, foeminae nunquam adtingunt: quod enim celeius crescit, rapidius decrescit—.



LITERATURA.

- G. G. SCHMIDT, dissertatio de hominis aetatis. Lipsiae. 1655.*
- J. B. de FISCHER, tractatus de senio ejusque gradibus et morbis, nec non de ejusdem acquisitione. Erford. 1754.*
- G. H. KANNENGIESSER, dissertatio de aetatibus. Kilon. 1755.*
- B. C. FAUST, von den Perioden des menschlichen Lebens. Berlin. 1794.*
- A. HENKE, über die Entwickelung u. Entwickelungskrankheiten des menschlichen Organismus. Nürnberg. 1824.*
- RAMINGTON, de quatuor vitae gradibus. Edinberg. 1785.*
- J. S. SCHROETER, das Alter. Weimar. 1803*
- R. WELSTADT, diss. de vergente aetate. Londini. 1724.*
- HALLERI primae linae physiologiae. Gütting: 1780.*
- J. E. G. JOERG, der Mensch auf seinen Entwickelungsstufen.*
- J. BERNT systemat. Handbuch der gerichtlichen Arzneikunde. Wien. 1828.*
- PH. CAROL. HARTMANN Theoria morbi; pag. 334.*

THESES DEFENDENDAE

- I. *Luna regit febres telusque, sol nevroses.*
- II. *Gratulandum est aegris, quibus inani suo auxilio homeopathia caeca mederi potest.*
- III. *Agyrtae et aegro et medico et medicinae magnum inferunt damnum.*
- IV. *Mutatio in macrocosmo etiam in microcosmum redundat.*
- V. *Medicina absque naturae philosophia — ruidis empyria.*
- VI. *Per quae vivimus et sani sumus, per ea etiam aegrotamus.*
- VII. *Rheumatis origo in vicissitudinibus electricitatis praecipue quaerenda.*
- VIII. *Morbi exanthematici vernaem tempestatis fideles comilitones.*

IX. *E vita putredo -- e putredine vita prodit.*

X. *Medicinam invenit necessitas, suggessit casus, notavit experientia, probavit ratio; hinc in Medicina fortuna non datur.*

XI. *Rheumatis et Catarrhi in uno eodemque individuo pari tempore existentia frequens.*

XII. *Nevropathiae a morsu virulento a nevropathiis a morsu simpliciter irato essencialiter differunt.*

XIII. *Praxis cunctas morborum curationes eidem modulo adcomodare non debet.*

XIV. *Morbis specificis specifica est medicamentorum tolerantia.*

XV. *Tolerantia medicamentorum specifica crescit cum morbo et viceversa.*



NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

CORRUSS 8



00000320990

